B. N. C
FIRENZE
1023
45

1023. 45

EPICEDIA
In B. Obitum
Magnifici Dn. Rectoris
DN. BENEDICTI HOPFFERI,
Fusa
à
Patronis, Fautoribus, & Amicis.

EPICEDIA.
DNN. PROFESSORUM.

I.

DUximus exequias, sed *Fascibus!* invida ferro
Scindunt exanimi corpore fata CAPUT.
Crinibus effluxit *Diadema*, rapitque *coronam*
Atra dies; FUNUS NOBILE pulvis habet.
PRIMUS honor RECTORIS erat, sed vixit & URNA
Clauditur egregium diripiente DECUS.
Sed VIXIT, vivetque diu post funera Rector,
Ejus & in Sceptro non moriturus HONOR.

Hisce beatis Manibus Magnifici quondam Dn. Rectoris Universitatis Nostræ, Affinis Honoratissimi, pia quidem sed heu! nimis præmaturâ morte defuncti, extremi officii & debiti doloris testicandi ergò, litavit

Gabriel Schweder / D. Placit. Feud. Prof. Publ. h. t. Univers. Rector.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

1023. 45

II.

Collegæ Magnifico

Amico quondam ſuaviſſimo.

QVi Benedictus *eras nobis in Tempore noſtro*:
Perfectè æternùm,nunc Benedictus *eris*.

b. c.

appoſuit
Joh. Adam Oſiander, D. Cancell.

III.

Mœſta mihi ſi quæ mors unquam contigit ulla,
Dicere non vereor, mors fuit illa mihi:
Magnificum cum Te lethum caput abſtulit Almæ,
Collega in clauſtro cum viduatus eram,
Heu quoties calamum ſumſi quotiesque remiſi;
Cum tua fata tuis ſcribere juſſus eram.
Vir dilecte DEO, toto digniſſimus ævo,
Vivere, tam raris condecorate bonis.
Quam tua me virtus juvit, quam pectus honeſto,
Excoctum, mores quam facilesque tui,
Et ſtudium miſeris ſemper ſuccurrere promtum
Et mite ingenium quam placidumque fuit,
Quæ pietas ſimplex nullos mentita colores,
Qualis iniquorum, quantus & oſor eras?
Heu quot virtutum jacturam fecimus,unum
Præcipiti letho,ſurripiente virum.
Tu verò æternum vale nunc inſertus Olympo,
Cœlicolas inter Ter *Benedicte* vale.

Ita manibus Magnif. Dn. Rectoris, Collegæ in Ducali Stipendio quondam, conjunctiſſ. æſtimatiſſ. juſta ultimi honoris perſolvit mœrenti calamo.

Georg Heinrich Keller/ D. P. P. Eccleſ.
Decanus & Ducalis Stip. Superintend.

IV. Quan.

IV.

Q*Vàm ſit acerba mihi tua mors, vix ſenſerit alter,*
Aſt, ſic fata jubent : quæ quoque Sceptra trahunt.

Lugens appoſuit

Joh. Adam Kurrer/ D.

V.

MUſarum ut culmen ſummum conſcendit honoris
HOPFFERUS ſatis eſt, dixit, & aſtra petit.
Quid reputas annos? fama ſuper æthera vixit:
Atque Senem Virtus ſcriptaque cana probant.

Supremum affinitatis & amicitiæ monumentum
Memoriæ HOPFFERIANÆ Excellentiſſimæ
ſacrum
à

Joanne Ulrico Pregizero, D.

VI.

I*N terris* Benedictus *eras tàm nomine, quàm re:*
In cœlis verè nunc Benedictus *ovas:*
Suſpirant hac valle Tui: Benedictio *larga*
Illis obveniat, pronus adoro DEUM.

appoſ.

Elias Rudolphus Camerarius, D.
P.P. Facult. Med. p. t. Decanus.

VII.

H*Opfferus Benedictus* erat, dum vixit in Orbe;
Mortuus in cœlis quàm *benedictus* erit!

Georg. Balthaſar Metzger/ D.

VIII.

EPITAPHIUM.

ASTA VIATOR. OSSA MARMOR ABSCONDIT
DECORA SCEPTRO. TESTA FICTILIS MANES
OCCULTAT INGENTES. STUPESCE QUOD CALCAS
FUIT CORONA NOSTRA, SED FUIT, VIXIT
QUEM VIDIT ERUDITUS ORBIS. OCCUMBIT.
CLARUMQUE PASSIM, FEBRIS UNA CONSUMIT.
CRUDELE FATUM! PARCE FLETIBUS PARCE
PROFESSOR ANNON NACTUS EST BONUM SUMMUM.
AMA VIRUM FATUMQUE COMPAR EXPECTA.

Pos. piis Manibus

Joh. Wolfg. Jâger, PP. Illuſtr.
Stip. Ephor. p. t. Dec.

IX.

Q*Và nil* Magnificum verè, *citò deſeris orbem*;
Verè *ibi viſurus* talia *in arce poli.*

Chriſtophorus Caldenbach.

X.

Q*Vi Patre, ingenio, factis, Aulaque favore,*
Vtroque & Socero non-niſi Magnus *eras*;
Magnificus *dum ſis*, aliud nunc, *inquis*, agamus:
Magnus ero in cœlo. *Parvus in Orbe fui.*

ita

Faſces Magnifici Dni Hopfferi veneratur
lugenti animo

Joh. Henr. Breüning, PP.

XI. Plu-

XI.

PLurima dum linquis, proh! pectora mœsta Tuorum,
Utere lætitiis, pace, quiete Poli.
Nulla Tui in Terris capient oblivia mentes,
Nominis atque Tui gloria perpes erit.

de Cruce atque Luce Hopfferiâ passiones animi contestaturus scripsit

M. Petrus Schertlin/
Archi-Diac. Tub.

XII.

Q*Vem*, *dum* Magnificos titulos, *&* Sceptra *ferebat*
Applausu è medio Mors inopina tulit,
Magnificis *gaudet* Titulis, Sceptroque *corusco*
Cælicolas inter: quis bonus invideat?

Pauculis hisce Dn. Rect. Magnif beatè demortuo supremum valedicit

M. Philipp Jacob. Schlotterbeckh/
Ecclef. Tub. Diac.

EPICEDIA.

DNN. EXTERORUM.

Nobili & Clarissimo

Pari Fratrum

DN. ERASMO & DN. M. ANT. ULRICO: HOPFFERIS,
Augustanis.

Nunc in Urbe Orbis famigeratissima Venetorum, Fratris, Rectoris Tubingæ Magnifici, qui Rectori Universi, Rectoratum Universitatis cum vita tradidit, præmaturam mortem lugentibus hon. causa scripsit, Adfinis:

M. GE. LAUB. P. ULR. C. A.

I.

HAud dubiè triſtes, Fratrum par nobile, eratis
Et cordi multæ Veſtro inerant lachrymæ;
Quando expirantem ſanctè mors ſæva Parentem
Juſſerat extrema dicere voce Vale,
Aſt mage cum Frater, BENEDICTUS reddidit arce
Spiritum in æthereâ, plenus amore DEI.
Delia dum geſſit Tubingæ Sceptra Lycæi
Rector, Rectori tradidit æthereo,
Eſt dolor, eſt fateor, mortis tam triſtis imago:
Nec tamen inficior, non ſine lætitia.
Scilicet eſt aliquid, bene noſſe hîc claudere vitam
Spe fidei firma, inque agnitione DEI:
Læta namque vident facie cœlumque Deumque;
Unde nec eſt reditus: nec remeare placet.
Si charum in Patria non dixero, judico Clarum,
Et Patris atque ſuo munere, & officio.
Amborum eſt cineri poſt funera fama ſuperſtes:
Et laudes cantant jugiter ora Virum,
Reddite, ſi vultis, Patriæ, Par nobile Fratrum,
Et Patris, & Fratris, nomen, & omne Decus.

An. æra Chriſtiana 1684. d. 6. Decembr.

II.

MEMORIÆ HOPFFERIANÆ

S.

CUr tam RECTORI *ſubitò jam buſta parantur,*
Qui poterat dextrâ & mente juvare ſuâ?
Publica cui cura cordique fuêre: perenni
Qui dignus vitâ: Aſt ſic pia fata volunt.
Annorum numerus quorſum conducit? an ille
Poſt obitum forſan concelebrandus erit?

Nemo

Nemo hominum quarit de longo temporis usu,
Sed quam praclarè vixeris atque probè.
Ast ingens vulnus pullata ACADEMIA *sentit,*
Funera prosequitur, diffluit in lacrymas.
Ergò gemit meritò CLARISSIMA TURBA SOPHORUM:
Attamen assiduo tempore flere nefas.
Occidit ille quidem, nec adhuc tamen occidit omnis,
Principe parte sui MENTE *superstes agit.*
Facta repraesentant Summa virtutis amorem;
Atque bona HOPFFERUM *fama loquetur anus.*
Hunc Natis, hunc restituet lux una MARITÆ,
Sub CHRISTI *adventum cum dabit orta jubar.*

Ita beatè defunctum Dn. RECTOREM HOPFFERUM, Fautorem quondam & Amicum suum æstimatissimum lugens prosequebatur

Theophilus Spizelius, Ecclesf. August. ad D. Jac. Pastor.

III.

Traur-Sonnet.

O wilder Menschen-Fraß! Sinn-loses Larven-Bild!
Du sihst/hörst/redest nicht/nichts fühlen deine Gleiche:
Geschmack und Geruch ist öd/und führst doch solche streiche/
Auff Lebens werthe Leut an welchen alles gild.
Die Jung/gelehrt/beredt: gereißt/erfahren/Mild/
Und vielen nutzlich seyn/da viel in einer Leiche
Die schwartze Grufft verscharrt: dergleichen Thränen-Reiche
War jüngst Herrn Hopffers auch die noch manchs Traur-Hertz fühlt.

Vier

Vier Häupter hast du da / an disem Mann geschlagen /
Der Hohen-Schul: Deß Gschlechts: Seins Hauß / und recht zu sagen:
Deß Seelgen Vatters noch / in der Frau Mutter Brust.
Ersezze doch mein Gott / was uns der Tod genommen:
Vom Hopfferischen Haus / und heiß von ferne kommen
Den / der uns Hoffnung macht / und dir ist wol bewust.

Mit diesem Eilfertigst auffgesetzten / hat zugleich
Hertzmitleidig und wünschend / seine Christ
obligende Schuldigkeit bezeugen sollen.

M. G. A. Jung / Evangelischer
Pfarrer zum H. Creutz.

IV.

FLorebant Musæ, & benè custodita Juventus
Palladis auspicio, qua sese flumina Nicri
Irriguas inter sylvas, vinetaque fundunt:
HOPFFERO dederat nam jus venerabile sceptri
Delius, & doctæ signa ac vexilla catervæ.
Proficitur studiis, innectere serta capillis
Inter se socii certant; micat inclyta Virtus:
Tàm dextro RECTORE levis Fortuna timeri
Desierat. Sed enim labor est pacemque, novosque
Pieridum flores totum servare per annum.
Invenére viam, quâ lucem demere claris
Et noctem possent inducere Fata diebus:
HOPFFERO celerant mediis in millibus uni
Insperata necem. Segetes sic imbre maligno
Dejectæ pereunt, rapidæ sit obvia puppi
Naucleri dextram ventorum flamina turbant.
Carpitur obscuro per viscera RECTOR ab igne
Qualiter aut quercus silvarum gloria telo

Ful-

Fulminis ufta comas fubmittit, & arida circum
Se fpectat virgulta minax, fternitque cadendo.
Quid tua Te pietas, quid fummis cognita Virtus,
Et doctrina probata bonis, aut quid juvat illud:
Principibus placuiffe Viris, & adiffe Corinthum,
Quæ Tibi præcipuas fuit inter gloria Vitæ?
Cuncta nihil tardare valent mortem, ultima fili
Pars fupereft, duro tenuantur pollice rupta
Licia, nil & amicorum, nil cura medentum
Sollicitata facit, vocat exorabile Numen
Chrifticolum cætus, fed fruftra; Longior ætas
Et volvendi anni noftro fub fole negantur
HOPFFERO, maturus abit, quo jam fua mentis
Lumina contulerat, provifaque præmia cœlo
Caftus adit, facrumque latus, clarumque parentem
Veftigans, atavos & avos, thalamique jugalis
Conforteni fimul accipit, & flammatus amore
Ingeminans avidis complexibus urget ovantes.
At nos per varias urbes, & rura benigna
Commeminiffe Viri juvet, atque encomia laudis
Spargere, quô cœli Boreas fe librat ab axe;
Et creta ac minio tumulum perfcribere & urnam.

Extremus Honos
Magnifico Dn. Rectori Tubingenfi
BENEDICTO HOPFFERO,
decoribus fuis immortuo;
Suo ante XXV. annos Auditori attentiffimo,
poftea Amico & Fautori perpetuo
datus Auguftæ-Vindelic.
à
M. Joh. Crophio, Collegii Evang.
Ephoro.

V.

DEFUNCTI GENIUS.

Mores docendo discimus mori tandem:
Historia mortis vera fabula est vitæ,
Dum literas sectamur, interim nigrum
Mors thetafigit, osse lineam ducens:
Nil literas illiterata mors curat.
Erro; feralem namque literam curat!
Multum peregrinabar, *hac sequebatur;*
Quocunque abirem, perpetim latus texit:
Cave, viator, hoc pedisequium: Mors est!
Nemo sepulcrum lacrymando funestet;
Planctus, dolor, lamenta manibus sanctis
Prodesse nil possunt: sed hos meos, Hospes,
Ne lade manes; neminem volens lasi,
HOPFFERUS *hîc tuus,* Tubinga, *procumbit,*
Donec tuba ingens *classicum canat cœli:*
BENEDICTUS *hinc resurget, ut cluat nomen;*

Affinitatis ac mortalitatis memor
f. Norimbergæ
C. ARNOLDUS, P.P. & V. D. M.

VI.

HOPFFERUS, qui nuper erat tutela Minervæ
Teccicæ, & Aonii portio prima chori,
Magnificos inter fasces, titulosque verendos,
Exuit exuvias corporis ante diem,
Concutitur Domus Illustris, ferale Lyceum est;
Palladis exstinctæ stant sine luce faces.
O quæ Nectaricis blandè facis otia Musis,
Ac super astra rotas, docta *Tubinga*, caput,

Si Pietas veneranda tibi delubra recludit,
Hac pia Defuncti viſcera ſede loca!
Si templum Probitatis labes, hoc condeſepulcro
Corpora ſinceri mente manuque Viri!
Si ſacros pandit Morum Doctrina receſſus,
Virtutum hîc ornent Numina cuncta rogum!
Vel ſi Svada tibi, vel Pallas condidit arces,
Heic pretioſa Viri molliter oſſa cubent!
Omnibus hiſce tegi meruit penerralibus, in quo
Scimus ad unam omnes has viguiſſe Deas.

Scrib. Aldorfii Noricorum
mœſtus amicus

Magnus Daniel Omeis, Ethic. & Eloq. Prof P.

VII.

Alluſio ad Præ-Nomen Benedicti.

QVi Benedictus *eras in terris*, Inclyte Rector!
Nunc verè in cœlis Ter-Benedictus *ovas.*
Cœleſte ingenuum petiit cœlum: Atque laborum
Hîc ſuſceptorum ſolvere dona cupit.
Ingredere ergo Dei Benedicta *& cœlica regna,*
Præmia quæque manent TE benedicta, *cape!*
Atque Tuum in terris Benedicti *nobile Nomen*
Florebit, Virtus dum viret atque viget,

Mœſtiſſimo quidem hoc poſuit animo, ob præmaturam celeberrimi Viri, Affinis ſui honorat. mortem; at eò lætiore, quod famam ejus poſt mortem vivere novit

Johann Wülfer, U. D. M. ad D. Mariæ.

VIII.

NOn sceptra Regum, non apices Ducum,
Aut purpuratæ fulgur epomidis;
Non laureatæ serta frontis
Indomitos remorantur arcûs
Stragesque mortis. Luximus Hectoras,
Et Christiani robora pectoris
Fatalis ad Budæ fragores,
Bistonio cecidisse ferro.
Nec literato parcitur ordini.
MEISNERIANÆ fons opulentiæ,
Pelasga STOLBERGI fluenta
Leucoreo siluêre Pindo.
Pullata salsas volvit adhuc aquas
SCHERZERIANI testis acuminis,
THOMASIIQUE experta nectar,
Luminibus Philurea tantis
Orbata nuper. Crescit acerbior
Leti tyrannis, seque virentibus
Tuis, Tubinga, infundit arvis,
Insidiis tacitis Atlantem
Tollens Minervæ. Stant velùt ignibus
Ictæ Tonantis Pierides; caput
Nicer recondit, spumeoque
Findit agros querulus tumultû.
Apollinari tristior agmini
Incumbit horror: quisque suum gemens
Inclamat HOPFFERUM, rigroque
Ante diem spolium sepulchro

Cessisse mœret. Pars sapientiæ
Sacræ profundum prædicat alveum:
Panætianæ pars palæstræ
Socraticæque stupet vigorem.
Sunt, qui liquentes eloquii favos,
Et provehendis nisibus arduam
Industriam addictæ juventæ,
Ac placidam sint nube frontem.
Fibris voluntant. Quis viduos lares,
Et cassa curâ pignora patriâ,
Totumque amicorum dolentûm
Aspiciat genus ore sicco?
Sed non inani sanguis imagini
Istis redibit. Fixa trabalibus
Sunt fata clavis; nec calentes
Torva preces Lachesis moratur.
Latè patentes Fama tamen plagas
Orbis pererrans, Mnemosynes tholo
Suspendit, & vivax sonoro
Per populos canit æræ Nomen.

In præmaturum
Celeberrimi DN. HOPFFERI
obitum
pangeb.

M. Georgius Fridericus Magnus,
Gymnas. August. Rector, & Illustr.
Reip. Bibliothecarius.

IX.

M*Agnificum flet clara suum Tubinga Regentem,*
Ingeminans: Eheu! Quanta columna ruit!

Quanta columna ruit! Vah! gloria quanta Sophorum
Conciait! Heu! nigrum sole cadente diem!
Quanta columna ruit! dum compar Conjuge tanto
Orbatur; Cui jam pectora læsa stupent.
Quanta columnia ruit! trepidat sic ore quadriga
Deserta sobolis; qua Patre cassa dolet.
Hopferidum, *proh! quanta domus collapsa columna est!*
Hoc Genitrix queritur bis viduata quasi.
Hoc queritur lugetque simul fratrumque sororumque
Intemeratus amor, sauciacorda gerens,
Quanta columna ruit! Chorus omnis clamat amicûm,
Et gemit ablatum, quem superesse vovet,
Sit quantum amissum, Germania, Gallia, nec non
Italia tellus plurima testis erit.
Ast lachrymis revocare virum quia nemo valebit,
Illi jam longum dicimus ergo Vale!
Non tamen omnis abire potest quem plangimus; ecce,
Nominis Illius fama decusque manet.
Non quoque (sibi abiit, reditus ut nulla supersit
Spes; melior quin nos spes alit atque fovet.
Quin veniet mox illa dies, qua dicta suprema est,
In qua restituet pignora cara Deus,
Heic fundit madidus lugubria flumina vultus;
In cœlis tandem gaudia mille fluent.

Fautori desideratissimo, Discipuli quondam lectissimo, lugens amorem supremum testatur

M. Narcissus Rauner/ P. L. C. Gymn. Patrii Annæi, quod Augustæ est P. P.

X.

WEil viel ein ander Kiehl gehört zum Lob und Ehren/
So dieser theure Mann durch Sprachen/ Schrifften/ Lehren
Im Leben vor der Welt und nach dem Tod erhebt/
Ja weil in diesem Buch die Fama selbsten schwebt.
Als thun wir uns allhier nach Schuldigkeit hinwenden/
Zu der die diesem Fall beklaget aller enden/
Die Ihren liebsten Mann begleitet Thränen-weiß/
Zusehen ob den dieß den man betrauren heiß/
Sie spricht Ich muß nunmehr in seinen grösten Ehren
Den der mir ist gewest/ mein Freud und Wonn entbehren/
Ich die Verlassene bin seiner nun beraubt/
Mir ist hinweg gethan die Cron von meinem Haubt/
So offt ich nun erblick / den Sohn von meinem Nahmen/
So schießt mir gleich darauff der Augenbach zusamen/
Und wird auch meinem Hertz/ von neuem an so schwer/
Als wann er schmertzlich mir erst heut entrißen wär'.
Wann gleich Demosthenes wüst künstlich vorzustellen
All and're Trauerfäll/ und lebhafft zuerhellen/
Wurd doch am Wittwen Layd erstummen dieser Mund/
Weil ihm kein Wittfrau selbst/ward gleich dem Layde fund.
Wie aber traurt man so wann der Mann wär gefahren/
In eine sichre See zu hohlen Geld und Wahren/
Wann Kayser/ König/ Fürst Ihn hett' zu sich begehrt/
Und über seinen Wunsch mit grossem Gut verehrt:
Wurd' die Abwesenheit ein solch Glück nicht versüssen?
Wurd' auch zur Ohnzeit wol der Mann geholt seyn müssen?
Nein: wieviel mehr wann Gott verkürtzt die kleine Zeit/
Und schencket schneller uns/die graue Ewigkeit
Verlassen kan auch nicht genennet werden können/
Die deren sich Gott selbst will einen Vatter nennen
Noch weniger veracht/ weil sie bey dem viel gült
Der durch sein Allmachts Hand deß Meeres Abgrund fült.

Gott hat uns außgetheilt Glücksgüter/ hohe Gaaben
Die wir nicht einmal nur als Lehenleute haben/
Die die vier Element zerplagen immerzu/
So lang biß endlich wir gelangen in die Ruh/
Mann/ Kinder/ Haus und Hoff/ sein durchauß frembde Sachen
Wann hinnimbt/ der sie gibt/ wer soll viel klagens machen
Gefehlt ist/ wann der Mensch/ auff das als eigen baut/
Was uns der Himmel doch nur zeiget/ lehnt/ vertraut.
Ja Gott muß selbsten uns offt Trauerfäll bereiten/
Und von der Creatur zu ihm dem Schöpffer leiten/
Daß sich die schwache Seel schwing wieder Himmel an/
Von dem Geschöpff/ das doch uns nicht vergnügen kan.
Offt mitten in der Lust/ offt mitten in den Freuden/
Muß eine Trauerwolck manch edles Haus bekleiden/
Daß nicht der edle Staub verfinstre unsren Sinn/
Daß wir waher wir seyn gedencken wieder hin.
Darumb getrost/ der Gott/ der sie schien zubetrüben/
Und in der Creutzes-Schul fast härtiglich zu üben/
Der wird auch wiederum wegthun den schwartzen Flor/
Und nach so schwerem Creutz erfreuen wie zuvor.

Hiemit wolte ein ohngemeines Mitleyden gegen deß Hochseligen Hn. Magnifici hinterlassene sehr betrübte Fr. Wittib wegen aller in Tübingen studirenden Hnn. Landsleut schuldgebühren dermassen bezeugen/ und abstatten

Marx Christoph Merer.

EPICEDIA.
DNN. PROPINQUORUM.

I.

HEu jacet HOPFFERUS, Benedicti nomine clarus,
Qui propiore mihi sanguine junctus erat!

Plango

1023 45

Digitized by Google

Mc